

mensuram biberit, crapulam habebit, Iste enim, cui nec minus nec minus est, si vult, potest totam bibere; ille autem, qui plus indiget, plus debet accipere, sicut et de pane et pulimentis dicit, ita tamen, ut frenum habeat, i. e. ut crapulam non sentiat; iste vero, qui de sola mensura crapulam sentit, i. e. aut in locutione vel in ingressu vacillat, si sponte vult, debet illi minui etiam ipsa mensura. Si vero dixerit, quia nolo, ut minuatur mensura mea, quia S. Benedictus illam, mihi concessit, non debet illi mensura minui propter murmurationem, sed debet illura exspectare, donec ab omnibus cognoscatur et vincatur, sibi ipsa mensura¹⁾ nocere; et tunc, si talis fuerit ille, qui voluerit se abstinere, abstineat, si autem perseveraverit in sua pertinacia et noluerit se abstinere sponte, tunc abstineat se etiam coacte, quia levius est, ut murmuret sine ratione, quam in ebrietatem decidat, eo quod potest ille doctus²⁾ postmodum recompensari de alimentis, de vestimentis, ut liniatur et reconcilietur. Hoc enim sciendura est, quia si paupertas talis fuerit, ut vinum non iuvenit, debet emere, ita tamen ut prius provideat, si vestimenta habeant, et postea emat vinum. Si autem non potest³⁾ aliunde vestimenta emi, tunc melius est, ut prius vestimenta emantur, quae magis necessaria sunt, et tunc, si habet, unde etiam et vinum, tunc ematur.

Cap. XXXXI.

QUIBUS HORIS OPORTET REIFICERE FRATRES.

A sancto Pascha usque ad Pentecosten ad sextam reficiant fratres, et ad seram coenent. Congruum ordinem tenuit in hoc loco B. Benedictus in eo, quod prius dixit de mensura ciborum et potus, et nunc subjunxit, quibus horis reficere oportet. Cum enim dicit *usque ad Pentecosten*, h. e. usque ad octavam Pentecosten attinet. Hoc enim notandum est, quia, quamvis regula dicat, usque ad

¹⁾ ipsam mensuram ?).

²⁾ emendatus (?).

³⁾ possunt (?).